

II

VITAE RVSTICAE LAVDES

Iambicus

‘Beātus ille, quī procul negōtiīs,
 Vt p̄isca gēns mortālium,
 Paterna rūra būbus exercet suīs,
 Solūtus omnī fēnore ;
 Neque excitātur classicō mīles trucī ;
 Neque horret irātum mare ;
 Forumque vītāt, et superba cīvium
 Potentiōrum līmina.
 Ergō aut adultā vītium prōpāgine
 Altās marītāt pōpulōs,
 Inūtilēsque falce rāmōs amputāns,
 Fēliciōrēs īnerit ;
 Aut in reductā valle mūgientium
 Prōspectat errantēs gregēs ;
 Aut pressa pūrīs mella condit amphorīs ;
 Aut tondet īnfirmās ovēs ;
 Vel cum decōrum mītibus pōmīs caput
 Autumnus agrīs extulit,
 Vt gaudet īnsitīva dēcerpēns pira,
 Certantem et ūvam purpurae,
 Quā mūnerētur tē, Priāpe, et tē, pater
 Silvāne, tūtōr fīnium !
 Libet iacēre modo sub antīquā īlice,
 Modo in tenācī grāmine.
 Lābuntur altīs interim rīvīs aquae ;
 Queruntur in silvīs avēs ;
 Fontēsque lymphīs obstrepunt mānantibus,
 Somnōs quod invitet levēs.
 At cum tonantis annus hibernus Iovis
 Imbrēs nivēsque comparat,
 Aut trūdīt ācrēs hinc et hinc multā cane
 Aprōs in obstantēs plagās,
 Aut amite lēvī rāra tendit rētia,
 Turdīs edācibus dolōs,
 Pavidumque leporem, et advenam laqueō gruem :

Iūcunda captat praemia.
 Quis nōn malārum, quās amor cūrās habet,
 Haec inter oblīvīscitur ?
 Quod sī pudīca mulier in partem iuvet
 Domum atque dulcēs liberōs
 (Sabīna quālis, aut perusta sōlibus
 Pernīcis uxor Āpulī),
 Sacrum vetustīs exstruat līgnīs focum
 Lassī sub adventum virī,
 Claudēnsque tēxtīs crātibus laetum pecus,
 Distenta siccet ūbera,
 Et horna dulcī vīna prōmēns dōliō,
 Dapēs inemptās apparet :
 Nōn mē Lucrīna iūverint conchylia,
 Magisve rhombus, aut scari,
 Sī quōs Eōis intonāta flūctibus
 Hiems ad hoc vertat mare ;
 Nōn Āfra avis dēscendat in ventrem meum,
 Nōn attagēn Iōnicus
 Iūcundior, quam lēcta dē pinguissimīs
 Olīva rāmīs arborum,
 Aut herba lapathī prāta amantis, et gravī
 Malvae salūbrēs corporī,
 Vel agna fēstīs caesa Terminālibus,
 Vel haedus ēreptus lupō.
 Hās inter epulās ut iuvat pāstās ovēs
 Vidēre properantēs domum !
 Vidēre fessōs vōmerem inversum bovēs
 Collō trahentēs languidō !
 Positōsque vernās, dītis exāmen domūs,
 Circum renīdentēs Larēs !’
 Haec ubi locūtus fēnerātor Alfius,
 Iam iam futūrus rūsticus,
 Omnem redēgit Īdibus pecūniam,
 Quaerit Kalendīs pōnere.